

sibi agendum duxit: quod euangelistae eodem propriis sumptibus instaurare.
Tabulam auream ad ornatum magnae arce (Quam palam uocant) apud constantinopolim eleganti opere fabricandam curauit. Eam deinde petro Ziano duce: Angelus falerius solus ecclesiae sancti Marci procurator maiorem immodum exornauit gemmis & margaritis circiter annum domini. xx. supra Millesimum &.cc. Templi autem instauratio magnificentior decreta: quam antea fuerat: Quum populi uoces exaudirentur iure optimo Euangelistam eo sacrario non dignatum. Fato permissum priorem ecclesiam cum palatio conflagrare: ut nobilior magnificentiorque resurgeret. Excitandam esse superbam aliquam templi molem singularem & raram. Accitis igitur ex Constantinopoli primariis architectis: templum instaurari & ampliari qua poterat captum. Ornatus quidem & artificium magnitudinem longe superauit. Quoniam ampliorem ut supradiximus molem loci angustiae non capiebant: Satis habuere ut opinor illis praesertim temporibus: atque ea surgentis ciuitatis conditione: Si par magnitudine aut salomonis templo: aut iouis capitolini moles exurgeret. Quorum alterum sexaginta cubitorum longitudinem uiginti latitudinem: non excessisse legimus. Capitolinum uero & si hierosolymitano maius proculdubio extitit: Magnum tamen admodum non fuisse illud testimonio est: qui eiusdem nunc fundamentis exsuscitatum uidemus in templum Beatissime uirginis ara celi nuncupatum. Et praeterea eaeque tegulae quibus aliquando capitolinum Romanus operuit: translatae sunt permissu constantinopolitani imperatoris in gratiam pontificis: ad tectum Basilicae Beatissimi petri uix autem illius templi dimidium operiunt. Non enim prius apparet: tam delectatos uastitate templorum quam precio & ornatu. Neque enim facile reperias ullum ex gentilium templis cum Basilicis apostolorum amplitudine comparandum. Molibus &.n. multo maioribus christiani deinde templa erexere. Aedes quidem Beatae Sophiae a Iustiniano condita ceteras ferme superauit orbis moles: quae nunc magna ex parte magnitudine sua collapsa sit. Dux autem ursoiulus seu penitentia ductus qui aedes ad incendiū palatii & candiani ducis necem accommodasset: seu innato religionis adeundae desiderio: Secundo ducatus anno monasticam uitam est ingressus profectus in Aquitaniam: cum Beato Romoaldo Rauennate: Ibi sanctissime exacta uita: multis miraculis claruisse ferunt: rarum apud seculares principes exemplum. Placuit igitur templi figura in crucis speciem stipite & brachiis tam longitudine: quam latitudine pene paribus: passuum ferme quinquaginta latitudine: atque altitudine iuxta. Tota aedes pensilis est praeter fundamenta parietum & columnarum. Itaque fornices per omnem ecclesiam circumducti ad omnia templi pauimenta sustinenda: creberrimis columnis impositi: ut ponderi pauimentorum: ac supgrediētiū mortaliū sufficerent. Altius subduxere uersus altare magnum ad eam quam uocant confessionem secretioribus reponendis re-